

65.

MEMORIAE
GEORGII MUL-
LERI


SENATORIS HAMBURGENSIS.

HAMBURGI,

Excudebat CHRISTOPHORUS DEMLERUS.

ANNO c^h b^l LXII.

LECTORI BENEVOLO SALUTEM.



Um dignum laude virum fama pariter ac Musa vetet mo-
ri, laudabili certe ratione Majores nostri modos excogitarunt
quàm plurimos, quibus id unice operam dederunt, ut virorum
præstantissimorum & singulari virtute præcellentium memoria po-
steris sancta esset; & ab oblivione quàm diutissime conservaretur.
Hinc ipsos alii posuisse Statuas, aliis Ludos instruisse, aliis magni-
fica extruxisse Palatia, aliis alia æternæ memoriæ monumenta po-
suisse legitimus; nonnullorum etiam monumenta quotannis adire, aliorum verò lau-
des publicè recitare solitos fuisse notum est. Neq; ille mos (quod forte quis autu-
met) apud veteres solum Græcos & Romanos, tanq; gentiles impio falorum Deo-
rum cultui deditos, verum etiam Christianos eerto modo obtinuit; quippe quicquid
D. Martyrum, tum aliorum Christianorum memoriam satis religiose coluerunt, na-
tales eorum celebrarunt, tumulos ac sepulchra frequentarunt. Nos etiam hac tem-
pestate non plane eorum morem relinquentes, ab omni superstitione remota mor-
tuos colendi ratione utimur, ita, ut quorum memoriã ad posteros pervenire volu-
mus, eorum etiam vitam & res præclare gestas literarum monumentis committam-
us, atq; hoc modo immortalitati eos consecremus. Hoc ipsum etiam omnibus
modis promeruit.

GEORGIUS MULLERUS

REIP. HAMBURGENSIS SENATOR; SCHOLARCHA ET
TERRAR. SUBURBICAR. PRÆTOR.
LITERAR. ET LITERATOR. MÆCENAS
PROBITATIS ET PIETATIS SINGULARE EXEMPLUM.

Cujus magna in universam hanc remp. merita, tantum abest, ut condignâ commu-
moratione complecti quis possit, ut ea vix adumbrare angusti hujus spaciî termini
prohibeant. Genere enim cum esset Chilonio Holsatus, eo tamen non obstante, suis
meritis Senatoriam dignitatem (ut postea dicitur) hic Hamburgi est consecutus.
Natus autem est dicto loco anno vulg. æræ Christianæ clō 10 xcv. d. 2. Augusti
mensis, quæ erat Saturni, hora secunda pomeridiana, & quidem ea formæ & linea-
mentorum qualitate; ut ex ipso aspectu imago quædam ingenitæ virtutis atq; hono-
statis emicaret.

Patrem habuit JOHANNEM MULLERUM, Senatorem & postmodum Con-
sulem Chilonicem per annos XL; qui natus Anno Christi clō 10 Lx, d. 22. Novemb.
quæ erat Solis, circa secundam matutinam, obiit hujus seculi anno xxxiii. d. 10.
Octobr. postquam annos Lxxii, menses X, hebdomades tres, totidemq; dies comple-
verat. Mater fuit URSULA, Nobilissimi Viri GEORGIÏ Kõrpers / Illustrissimi
Principis Holsatiæ Consilarii intimi & Consulis Chiloniensis filia; quæ nupsit marito
anno Æræ Dionys. clō 10 Lxxxiix, d. 25. Novembri inter mortales verò esse desit
hujus nostri seculi anno xxii, d. 27. mensis Jano sacri.

Avus paternus ipsi fuit BERNHARDUS MULLERUS, Senator & deinde Con-
sul Chilonensis, qui obiit anno Epochæ Christianæ clō 10 Lxxxv, d. 3. mensis itidem
Januarii. Aviam paternam habuit ANNAM, Henningii Schulten Senatoris & postea
Consulis civitatis Chiloniensis filiam, quam ex Holsatica illa Gryphorum familia pro-
geniit, quæq; superioris seculi anno Lxxx, d. 24. Octobr. vitam cum morte com-
mutavit.

Avus maternus ipsi existit Vir Nobilissimus GEORGIUS Körper / Illustris-
mo Principi Holsatiæ (ut dictum) à Consiliis & Consul aliquoties memoratæ civita-
tis Chiloniensis. Avia Materna fuit MAGDALENA, Senatoris Chiloniensis MAT-
THIÆ CANUTI, ex Nobilissimo illo CANUTORUM stemmate prognati, filia.

Optimis his & Amplissimis Parentibus (ne altius originem repetamus) natus
Senator noster optimus, postquam sacro Baptismatis lavacro esset Christo initiatus,
ætatis 16, qui erat à nato Christo (juxta vulg. æram Dionysii.) cl. 1600; sequenti bien-
nio (jussu parentum) iis rebus vacavit, quæ ad mercaturam imprimis requiruntur,
cujus etiam exercendæ gratia, anno hujus seculi decimo tertio, relicta patriâ Hambur-
gum concessit. Cùm verò ingenium ad omnes honestas disciplinas docile, & ad-
gistris, quàm ipse ex se parere, & eorum reminisci quodammodo ac recordari, ex illa
vetere Platonis sententia, videretur; literarum studia non puerulus modò & adole-
scens, sed etiam toto vitæ spatio ita adamavit, ut id unum à publicis negotiis diverti-
culum perpetuò habuerit, ut quicquid ab eis daretur otii, semper in literis omne con-
sumeret. Postquam autem ad juvenilem ætatem pervenisset, præcipuas Germaniæ
regiones & Urbes perlustravit, quo curriculo absolutò Hamburgum rediit factus, an-
no Æræ Christi cl. 1600, d. Lunæ quæ proxima erat Dominicæ Quasimodogeniti,
nuptias celebravit cum virgine ANNA MARIA (nunc moestissima vidua) Martini
Schlegelii Ecclesiæ Catharinianæ Jurati relicta filia, quam ex conjugè Cecilia (Marti
Brand / itidem dictæ Ecclesiæ jurati, & Catharinæ Stetenburgs filia) suscepit. Hoc in
conjugio per XLI. annos ferè integros piè & pacificè vixit, & novem liberor. parens
factus est, quorum quinque, nempe quatuor Filii & una Filia adhuc. Dei beneficio, sunt
superstitēs, qui obitum Domini Parentis sui nunc dolent. Cùm porrò, quantum in-
teresset, à teneris annis optimis vivendi rationibus adsuescere, cognosceret, nec non
Literarum & Literatorum incomparabilis æstimator existeret, ineffabile dictu, quan-
tam sanctæ & religiosæ liberorum educationi tum ipse, tum per varios præceptores,
impenderit operam, quantam etiam in promovendis suorum quatuor filiorum stu-
diis adhibuerit industriam. Videns enim eos de ingenii memoriæq; gloriâ pariter in-
ter se contendere, nullum non movit lapidem, ut optimos quosq; præceptores ipsis
præficeret; quorum auxilio & industria ubi eò eruditionis pervenissent, ut cum fru-
ctu Academiis visitare possent, nullum eorum à liberalibus studiis avocare, sed omnes
potius, in honorem patriæ, in Academiis ulteriorem operam studiis navare voluit,
memor verissimè illius,

Pietas & Literæ fulcra Reipublicæ.

Unde non per unum atq; alterum, sed XVI. ferè integros annos continuos, nullis
sumptibus parcens, modò unum, plerumq; duos, non rarò tres suorum filiorum si-
mul diversis in Academiis aluit.

Ut verò ad honores, quos Senator noster sustinuit, veniamus; sciendum est eum
per omnes dignitatis gradus sibi tandem etiam ad Senatoriam dignitatem
aperuisse. Postquam enim civis Hamburgensis factus esset, statim etiam varii hono-
res civici ipsi sunt delati. Leviora enim officia ut prætermittamus, Anno Christi
cl. 1600, d. 15. Januar. qui erat Mercurii, Orphanotrophio præfectus est.

Ejusdem anni die mensis Februo sacri consuetà, Inferioris Judicii Adfessor est re-
nunciatus.

Anni verò cl. 1600, d. 9. Martii *Ædilis civicus* est creatus.

Ejusdem anni ult. Julii *Ærario publico*, in pleno civium conventu, fuit *præpositus*;
quo in officio, uti etiam aliàs per totum vitæ spatium, adeò munificum Literarum &
Literatorum Evergeram se præstitit, ut eum nunquam Ærario non præfuisse opa-
rior Musæ.

A. C. cl. 1600, d. Lunæ quæ proximè præcedebat festum Nativitatis Christi in
lauda

laudabile *Duodecimvirov. collegium cooptatus* est; ejus præsidē egit aⁿno c^ls l^oc^lxlii
Quod seris etiam nepotibus indicabit tabula stannea Lapidi incluta, quem eodem aⁿno Magnificus & Nobilissimus Dn. Bartholdus Müllerus, Consul hujus Resp. nunquam facis laudatus, & jam per multos aⁿnos de tota hac civitate quàm optime meritam, fundamenti loco posuit, cum structuræ Templi D. Michaelis fieret initium:

Anno vulg. Epochæ Chr: c^ls l^oc^lxlii. *Ergastuli administratio* ipsi est commissa.

At sequenti anno c^ls l^oc^lxlii, *Xenodochii moderamen* in se suscepit:

Tandem, si etiam juratus Corporis Christi constitutus fuisset, omnia munia, ejus conditionis civib. convenientia, feliciter obillse dici potuisset.

Quanta a: animi alectitate singula hæc munera suscepit, quanta etiam integritate gesserit, res ipsa loquitur. In iis n. tanq. in orbis Terrarum theatro quodam amplissimo, omnium virtutum suarum immortalium splendorem ostendebat, præclarissimos actus edebat, ac divinæ mentis suæ virēs factis & dictis universo orbi conspiciendas præbebat, ut jam eo tempore judicarent omnes, nullo modo fieri posse, ut ejusmodi natura, demissis achumilibus rebus contenta, privatè viveret, sed alta quadam mente sublimiq; animo majora semper & honestiora spectaret, atq; ad altiores honoris & dignitatis gradus evheretur. Nec eventus aliter docuit.

Anno n. hujus seculi L. Nono Cal. Martias, qui tum cadebat in feriam quintam Magnificus, Nobilissimus & Amplissimus Senatus, in cujus tutela hujus civitatis salus est, cum de hac rep. jam benè promeritum, magno cum civium applausu suis sibi ad sociavit suffragiis, atq; ita potro benè de rep. merendi occasione præbuit. Omnis verò Deputationibus quibus tam in civili quàm Senatorio statu est defunctus, anno æræ Christ. c^ls l^oc^lxv. sexto Calend. Martii *Præturam urbanam* in se suscepit, quam, more solito, per biennium sustinuit.

At sexennio post, nempe anno c^ls l^oc^lxi. qui proximè est elapsus, d. 24. Febr. *Præturam suburbicaram & Aedilitatem senatoriam* subiit.

Verum enim verò, ut nihil tam stabile & firmum, quod non violentiæ morborum & mortis subjaceat, ita etiam Senator noster optimus, qui aliàs satis firmè semper usus est valetudine, jam viginti plus minus aⁿnis cum calculi & podagricis doloribus est conflictatus, qui nunc alternis vicibus, nunc junctim ipsum invalerunt. Quibus ultimo hoc biennio planè dubia accessit valetudo, ita ut à Dominicâ primâ Adventus anni proximè elapsi pedem domo non extulerit, & deficientè magis magisque Calido innato, ingravescente contra langvore & doloribus podagricis, circa initium præsentis anni decumbere necesse habuerit. Atq; illi dolores porro sequentibus hebdomadib. cum ad eò viribus spoliarent, ut indies, non obstante experientissimorum Dn. Medicorum solerti curâ, mori adstantib. videretur. Unde ipse indefinenter hoc ærumnarum & miseriarum Oceano ad coelestem portum anxius anhelabat, quem tandem, verâ fide in Christum servatorem suum, piè & placidè d. 2. Martii quæ erat Solis, manè horâ dimidiâ secundâ auditâ obdormiens, felicissimè est asecutus, postquam Annos LXVI. menses VII. minus XII horis, civili computatione, complevisset. Cujus corpus die Dominica proximè sequente solemnè pompâ terræ mandatum est in Aede D. Catharinæ.

Vale literatorum Mæcenæ magne! Vale venerabile pietatis & probitatis exemplum! Vale & æternâ beatitudine, quam tot suspiriis exoptasti, æternum fructum! Tu verò summe Deus, qui nunc iterum Magnifici nostri Senatûs membrum haud postremo in coelestem curiam avocasti, benignè concedas supplices oramus, ut reliqua quæ nobis reliquisti membra, diuturniore lucis hujus usurâ fruamur,

atq; sub eorum tutela quietè & pacificè vivamus omnes; Urbs autem hæc longè amplissimum capiat

incrementum.